

699

DISPUTATIO  
CANONICO-CIVILIS JURIDICA,  
*Desumpta ex variis Institutionum, Digestorum,  
Codicis, & Decretalium Titulis.*

DE SPONSALIBUS,  
NUPTIIS, JURE DO-  
TIUM ET DIVORTIIS,  
QUAM PER THESES ET QUÆSTIONES  
*Divinâ favente gratiâ*

Authoritate & Consensu Prænobilium,  
Magnificorum, Clarissimorum, atq; Consultissi-  
morum Virorum, Magnifici Domini Rectoris, Spectabilis Do-  
mini Decani, DD. Seniorum Sac. Cæf. Maj. Consiliariorum, &c.  
adeoq; totius amplissimi Juris-Consultorum Collegii in Antiquissima  
ac Celeberrima

UNIVERSITATE VIENNENSI

P R Ä S I D E

Prænibili, Magnifico, Spectabili, Clariſſimo,  
ac Consultissimo Domino

GEORGIO LEONARDO  
WEIGLER,

U. J. D. SS. Canonum Professore, Aulæ Judiciorumq; Advo-  
cato, Aulæ Mareschallici Judicii Assessore, Reverendissimi ac  
Celsissimi Principis Episcopi Viennensis Consiliario Consistoriali, &c.

*Publicè discutiendam proponit*

ADAMUS MATTHÆUS SUKAVITZ,  
Carniolus ex Gottscheviensi Comitatu, J. U. Studiosus,  
In Auditorio DD. Juris-Consultorum. Die 16. Mensis Decembris.

Anno quo

petri Varadini LVnatCVs horrVIt hostls,  
fortla f Vnestè & teVtonls arMa f Vglt.

## ΟΙΤΑΡΕΙΑ

CANONICO-CIVILIS JURIDICA

Deinde ex animis fratrum Dilectorum  
Miserere & Dareret nos Domini

MULTIS INTEGRO  
DE SPONSIBUS

## THEME DIORITIS

# OLIM PER JIHERS ET QUSTIONES

Adjudicative Council's Recommendation

Montgomery, Washington County, Oregon, Spokane, and Cowlitz Counties.

Based on the results of the study, it can be concluded that the configuration of the system is more effective than the configuration of the system.

comitatu[m] ille Reg[is] or[um] M[od]estus I

# GEORGI LEONARDO

111-1522 Second Avenue, New York, N.Y.

*... etiam pugnare debet. Namque si pugnare debet, non debet esse pugna, sed debet esse pugnatio. Et hoc est pugnatio, ut etiam pugnare debet.*

DAVINCI MAFIA HITS SIX AGAIN

Studies of Cerebral Gout in FEZ syndrome

**REVERENDISSIMIS  
AC  
CELSISSIMIS  
PRINCIPIBUS,  
AC  
DUCIBUS,**

Reverendissimis, Excellentissimi-  
mis, Illustrißimis, Perillustribus, Ge-  
nerosis, ac Strenuis

**DOMINIS, DOMINIS  
INCLITI DUCATUS  
CARNIOLIÆ  
STATIBUS  
ET  
PROCERIBUS**  
*Patronis meis Gratiissimis.*

INCLYTI DUCATUS CARNIO-  
LIÆ STATUS ET PROCERES,  
*Patroni mei gratosissimi,*

**D**UCIBVS  
REVERENDISSIMIS, EXCELESTISSIMIS,  
EXCELSISSIMIS, PERTINENTIIS, Q-  
VIS, HONORIBVS,  
E Sponsalibus, & Matrimonio,  
Jure dotium, ac Divortiis pu-  
blica in arena disceptaturus,  
ut quem à tenuitate sua non  
habent mea Theses splendorem,  
à Nominis Vestri claritate e-  
mendicent, easdem Honoribus  
Vestrīs inscribere non vereor, Patres Patriæ, Re-  
publicæ Columina, Æquitatis Vindices, clementis-  
simi studiorum Fautores! *Dabitis*, ut confido ve-  
niam, quod, ubi singulari privilegio primam lucem  
aspicere mihi calum indulserat, eo quantum quan-  
tum

tum ad Chleantis, Justinianique lampadum hauſi  
splendorem, devo<sup>to</sup> animi hostimento refundere  
præsumam. Et vero quem vel exterū etiam pre-  
tiosa Vestræ affabilitas, prona in egentes munificen-  
tia, dextera in pertractandis negotiis felicitas, fi-  
delitas in Principem, in Superos pietas, solicitude  
in subditos non pertraheret in ſui venerationem?  
Vestræ providentia ſuam indemnitatem debet Car-  
niolia, quando per conterminas regiones epyleptica  
lues late grassata, æra hujus ſæculi 1679 mortualem  
hic falcam allisit, ſtitit curſum, intactâ Provinciâ  
penitus evanuit. Vestræ dexteritati ſalutis ſua por-  
tionem refert in acceptis Styria, quam ſubmissis  
anno 1683. auxiliaribus copiis à tumultuantium  
Rebellium furore feliciter vindicat̄is. Vestræ libe-  
ralitati devinctam ſe agnoscit Austria, cui toties  
iniquo hoc temporis lapsu pecuniariis ſubſidiis ad  
manum eſſe, ſub triumphale Alemani Martis la-  
barum è gremio copias conſcribere, atq; defendendæ  
Hungaria obsequiis mancipare egregio prorsus fi-  
delitatis argumento adlaborat̄is. Quid de Majori-  
bus Vestrīs, inclytisq; Prosapiis dicturus ſum? Ve-  
stra Heroa facinora justos fastos ſibi vendicant, quo-  
rum meritis & regna, & provinciæ, & populi &  
Caſares, cum primis vero dilecta hac Patria mea de-  
victos ſe ſe ſapiūs agnoverunt. Quid de immortali  
Vestrā fama has inter foliorum angustias diſſertu-

rus sum? Vos estis seu togam aspiciam, in quorum  
Atlanta humeris universa nostra Patria summa-  
tot inter temporum injurias feliciter aque, ac glori-  
osè quievit. Vos estis, seu sagum contempler, in  
quos Heroici spiritus, imperterritus ad gloriosos  
ausus avorum animus, & illustrissimus sanguis  
felicissime dimanavit, quorum gloria nomina  
pro Deo & Caſare, pro Patria, & populo laureato  
funere etiamnum triumphant, perennantq;. Sanè  
ſe ſe ipsam consumeret mea facundia, ſi, que ſimi-  
lia ſunt, quā domi, quā belli gloria facinora lar-  
giori studio conniterer enarrare. Sed nec opus ha-  
betis unius laude, quos universa Patria veneratur,  
nec verborū selectu ſufficienter prædicandi, quo-  
rum præclarissima facta omni lingua disertius per-  
orant. Ad Vestrā igitur Honoris aram Justinia-  
nos hōſce conatus meos in perennaturum debita ob-  
ſervantia anathema venerabundus ſuspendo, meq;  
ſimul favoribus gratiisq; commendō.

Reverendissimar. Celsiss.

Excell. Illuſtriss. D.D. VV.

Cliens infimus

Adamus Matthæus Sukaviz.



## CONTINUATIO.

**D**ostquam in titulo *9no Inst. de patria potestate* actum fuerit, bono ordine Justinianus ad modos, quibus patria hæc potestas acquiritur, descendit, ideoqne & nos primò *de sponsalibus* utpote nuptiarum præparatoriis, secundò de vero modo, hanc acquirendi: *pr. Inst. de pat. pote. nimirum de nuptiis*, tertio *de jure dotium* ut concomitantium, cum aliunde reipub. intersit, mulieres esse dotatas *L. 2. ff. de jur. dot.* tandem postquam satis hæc conspexerimus, de divortiis, ut rescissoriis nuptiarum tractabimus quare sit.

### THEISIS I.

**S**Ponsalia à Spondendo (*a*) vel à Spontè dando dicta (*b*) sunt mentio, ac repromissio futurorum nuptiarum (*c*) dividuntur in ea, quæ de præsenti, & ea quæ de futuro contrahuntur (*d*) illa jure divino conjugium dicuntur (*e*) hæc per verba de futuro ineuntur (*f*) alia idem pura sunt, alia conditionata, (*g*)

(a) Te-

(a) Teste Ulpiano quod veteres sibi uxores stipulari,  
& spondere uxores solebant, unde etiam Sponsi, Sponsæque  
appellatio exorta est L. 2. & 3. ff. h. t. Gell. L. 4. Attic. C. 4.  
(b) Varro L. 4. de ling. lat. (c) Can. nostrates causa 30. q. 5. L. 1.  
ff. h. t. quæ definitio ab omnibus D. D. passim est recepta.  
(d) Ita collectu est ex tot. tit. 27. de Sponsi. Item causa 27. q. 2.  
Engl. hic N. 1. Vall. 2. N. 2. quamvis hanc divisionem Acatho-  
lici Schneid. Inst. de Nupt. N. 5. & 6. Boza de repud pag. 141.  
Matth. Steph. thes. 57. Litt. 6. iniquo ferant animo fundati in  
doctrina Mart. Luth. libell. von Ehe-Sachsen/ tom. 6. Wiet. (e)  
Cano. 6. causa 27. q. 2. Can. 9. eod. (f) Engl cit. Zoës. ff. h. t. Vall.  
hic 2. 1. N. 2. (g) Cap. pen. 27. h. t. C. un. infine eod. in 6to. Vall.  
2. 2. N. 3.

## QUÆSTIO I.

*An requiratur parentum consensus de Jure  
civili ad Sponsalia sub necessitate?*

**C**ommunis est sententia dicentium sine consensu contra-  
cta esse nulla cum Nuptiæ sic contractæ etiam nullæ  
sint: Inter quos est Oldendorp Class. 4. art. 26. Corras. 1. Miscell.  
Ca. 17. 2. tamen cum paucis recentionibus non absolutè re-  
quiri eorum consensum quod probatur primò ad Nuptias non  
requiritur parentum consensus, ergo nec ad Sponsalia antec.  
probamus: Si Jus civile voluisset hujusmodi nuptias esse nullas,  
ob defectum hunc statuisset, ut taliter contrahentes ab invicem  
separarentur; hoc nullibi allegatur, ergo verum erit dicere  
parentum consensum non absolutè esse necessarium ad nuptias,  
consequentia ex dato antecedenti rectè deducitur L. 16. ff. h. t.  
quod enim juris est in nuptiis, idem ferme est in Sponsalibus  
Zoës 27. h. t. facit pro sententia nostra L. 56. 2. hoc etiam C. de  
Epis. & cler. L. velle ff. de R. J. L. 8. & 12. C. de Rit. nupt.

THE-

## THEISIS II.

Contrahuntur autem inter eos, inter quos nuptiæ (a) consensu mutuo (b) à metu libero (c) post septennium completum (d) consensus iste exprimatur necessè est, verbis, vel signo aliquo exteriori (e) olim sponsalia interveniente copula carnali in matrimonium abiére (f) quod hodie mutatum videmus. (g)

(a) Arg. L. 16. ff. h. t. Zoës in ff. & ✠ hic Vall. 2.  
1. ✠ cod. (b) quorum enim unum corpus futurum est, unus debet esse animus C. de neptis causa 31. q. 2. quod etiam definitio in verbo reciprocante re promissio indicat (c) quia sponsalia ordinantur ad nuptias, quæ liberæ esse debent Vall. cit. N. 3. Cap. 29. ✠ hic (d) Cap. 4. ✠ de desp. impub. L. 14. ff. h. t. nam contrahentes saltem tunc aliquem habere consensum, ac judicium prælumuntur Vall. §. 2. N. 1. Sanechz L. 1. Disp. 14. N. 2. (e) de probation. scilicet C. 25. ✠ h. t. (f) can. 6. decreto Trid. Conc. Seff. 24. de refor. matr. C. 3. merè fornicaria est talis copula.

## QUÆSTIO II.

An ita in sponsalibus metus abesse debeat, ut præsens ipso jure nulla reddat?

Posset videri quòd sic, argumento desumpto à paritate matrimonii, quod nos in thesi 8. sic initum dicemus nullum ipso jure. ✠ tamen cum altera opinione utpote veriori. Negativè, ob textus apertos canonicos, & civiles Cap. 6. 14. & 15. ✠ h. t. L. 1. ff. quod met. caus. qui habent ob impedimentum publicæ honestatis absolutionem esse petendam, per modos, de quibus dicturi sumus, sed si absolutio petenda non sunt ipso jure nulla, ergo &c.

### THESES. III.

**P**ossunt inter præsentes & absentes contrahi (a) inter hos per epistolam (b) nuntium (c) per procuratorem speciale ad hoc mandatum habentem (d) Inter illos nudo, & expresso consensu (e) si parentes pro filiis contrahant, requiritur filiorum saltem tacitus consensus. (f)

(a) *L. fin. ff. h. t. Engl. 2. N. 4. hic* (b) *d. L. fin. Vall. 2. N. 2. & DD. hic* (c) *Duare. N. 2. in tit. sol. matr. Zoës N. 1. ff. hic Vall. cit.* (d) *cap. ult. do procur. in 6. & hoc propter magnum, quod ex facto tam arduo posset imminere periculum?* Intelligimus thesim, licet procurator haberet mandatum cum libera Engl *hic* (e) *Cap. 23. & 25. & h. t. Vall. 2. N. 2. hic* (f) *C. 1. & de desp. impub. & C. un. eod. in 6. L. 8. C. de rit. nupt.*

### QUESTIO III.

*An si principalis mandatum procuratoris revocet in ejus absentia, procurator adhuc valide procedet, usque dum sibi hac revocatio innotescat?*

**H**oc in aliis contractibus, & negotiis procedere indicat *L. 15. ff. mand. & tamen in contrahendis Sponsalibus, & nuptiis minimè fieri, ut si dominus seu principalis interim pæniteat, & coram aliis protestetur, se nolle consentire in actum a procuratore gerendum C. ult. de procurat. in 6. & hoc propter summum matrimonii favorem, & libertatem.*

### THESES IV.

**S**olvuntur verò sponsalia morte alterutrius (a) dissensu mutuo (b) licet jurata sint (c) per ingressum religionis (d) per ordinum susceptionem (e) per

(e) per discessum in longinquas terras , altera parte  
non monita (f) per defectum conditionis. (g)

(a) *Nov. 22. ad finem* mors enim omnia solvit (b) *C.*  
*2. & b. t.* nihil tam naturale est , quām unumquodque eo  
modo dissolvi , quo colligatum est *L. 35. ff. de J. Valle* hic  
*§. 4. N. 1.* (c) *barbo in C. 2. hic N. 6.* juramentum enim non  
aliter à Deo accipitur , quām prout homini juratum est. (d)  
*can 6. causa 27. q. 2. Zoës N. 6. ff. b. t. Valle* cit. *N.* (e) *cap. 2. &*  
*qui cleri vel vov Vall. Q. 4. N. 6.* (f) *C. 5. & ht.* de jure civili  
statutum est , ut sponsa per triennium exspectet absentem ex-  
tra provinciam , in provincia verò per biennium *L. 2. C. de re-*  
*pud. Covar. C. 3. de sponsl.* (g) *C. 3. & de condit. appo. Vall. Q.*  
*4. N. 6.*

#### QUÆSTIO IV.

*Si quis matrimonium promisit , & antequam  
pars altera repromittat , vel acceptet , an promissio  
revocari queat ?*

**Q**uestionem hanc tractat Guiterez de matr. *C. 3. N. 1. &*  
*Engl Q. 2. N. 9.* hic cum aliis , qui communiter in affir-  
mativam abeunt , quibus & nos assentimur , quia tacitè subest  
promissio. Si pars altera repromittat Sanchez *L. 1. Disp. 5.*  
*N. 1. & 14.* hic facit etiam , quòd Sponsalia sint contractus Sy-  
nallagmaticus , qui non perficitur , nisi utraque pars se obli-  
get *Sanch. cit. lo.*

#### THÉSIS V.

**S**olvuntur itidem sponsalia per subsequens cum  
alia matrimonium (a) licet prior deflorata esset  
(b) per alterutrius fornicationem (c) per lepram  
deformitatem notabilem supervenientem (d) per  
votum castitatis (e) per incidentem affinitatem

(f) per atrocem Sævitiam Sponsi , sponsæve incognitam priùs (g) & per omne id , quod præcongnitum à sponsalibus avertisset. (h)

(a) C. 22. § 31. ✕ h.t. Zoës N. 6. ff. hic Engl 2. 3.  
N. 9. (b) fortius enim est vinculum propter Solenne sacramentum Argt. Cap. 23. ✕ de iurej. Legis quoties C. de R. V.  
(c) Cap. 25. ✕ de jurej. maneat obligata (d) C. fine ✕ de conjug. lepro. per lepram hinc intelligimus omnem morbum insufficientem (e) non simile aliive indicio consensum exhibere possunt. Cit. Pirrh. N. 11. (f) talis etenim similibus Signis instrui non posset , quid matrimonium sit moraliter saltem loquendo , quāvis physicè aliter foret dicendum.

## QUÆSTIO V.

*An sponsalia de futuro ejus sint roboris, ut accedente ad hæc juramento ad ea servanda quis cogi possit?*

**H**Æc quæstio uti celebris est, & quotidie exercita, ita multis abundat difficultatibus, quæ AA. in varias abducunt opiniones : R. tamen non debere , nec posse fieri ut quis ad ea observanda cogi possit. Ita Engl §. 2. N. 6. hic Vall. 3. N. 2. Zoës N. 5. ff. h.t. facit pro nostra C. 2. 22. 31. ✕ h.t. Matrimonia enim libera esse debent C. 29. ✕ h.t. propter difficillimos exitus quos regulariter coæcta habent matrimonia Cap. 17. ✕ hic tales enim monendi potius, quām cogeni sunt Cap. requisivit ✕ h.t. facit etiam L. 10. ff. cod. præsertim si ea esset animorum inter se aversio , ut prædicti exitus prudenter timeri possent *maximus enim amor, persæpe in odium vertitur implacabile*, ut patet ex lib. 2. reg. C. 13. Layma h.t. C. 1. N. 4. compelli tamen pars potest, absque causa renuens per carceres, excommunicationem, aliasque censuras ecclesiasticas ad matrimonium , propter summam jurisjuran- di religionem violandam C. 10. 31. ✕ h.t.

THE-

## THEISIS VI.

**S**Ponsalia non possunt contrahiri inter eos, inter quos adveniente aliquando ætate consistere non potest matrimonium (*a*) Nec à furiosis, aut amentibus (*b*) nisi dilucida habeant intervalla (*c*) non ab ebrio (*d*) surdus autem, uti & mutus non prohibetur Sponsalia contrahere (*e*) mutus autem simul surdus, & cæcus non contrahit Sponsalia. (*f*)

(*a*) *Pirrhing L. 4. tit. 1. Sect. 1. N. 9. §. 2.* (*b*) *C. dilectus 24. ¶ h.t. (c) d. C. 24. Pirrh. cit. N. 10. (d) Sanch. L. 1. Disp. 8. N. 19. (e) Cap. 23. & 25. ¶ h.t. Sæpè enim adeo perspicaces sunt, ut signis edoceri possint, quid matrimonium sit, & nutu, alioue indicio consensum exhibere possunt. *Cit. Pirrh. N. 11.* (*f*) talis etenim similibus signis instrui non posset, quid matrimonium sit; moraliter saltem loquendo, quamvis physicè aliter foret dicendum,*

## QUÆSTIO VI.

*Utrum sponsalia de futuro simplicia, per alia etiam de futuro jurata tamen, & copula confirmata corrueunt?*

**Q**uanquam (si negativè decido) mihi præfigio facile ex domo mea arma in me peti; nihilominus cum Engl. §. 3. N. 5. ¶ h.t. *Pirrh. Sanchez. ad hanc quest.* Negativam teneo rationes conclusionis, sunt hæ quoad priam partē; juramentum contra bonos mores non est obligatorium C. 58. de R. I. in q. hoc est tale, datam enim fidem violare utique contra bonos mores est, ergo. 2. juramentum in tertij præjudicium emissum non est obligatorium; hoc est in prioris sponsæ præjudicium emissum, ergo &c. 3. juramentum non habens illos tres comites justitiam,

veritatem, & judicium, est illicitum Zoës N. 59. ff. de jurejur. quoad secundam partem probatur: nam copula nihil facit, quæ ex decreto Trid. me rē fornicaria est ut diximus in the. 2. Litt. G. Zoës ✕ h. t. tenet, licet defloratio per vim facta fuisse, cogendum tamen non esse afferit.

## THESES VII.

**S**Ponsalia pœnam non ferunt (*a*) quamvis si per dantem arrham stet, quominus ineatur matrimonium hanc amittat (*b*) si per accipientem duplicatam tenetur reddere (*c*) hanc arrham partes inter se stipulari possunt in casum non subsecuti matrimonij usque ad quadruplum (*d*) sunt autem arrham datio alicujus in argumentum, & pignus futuri matrimonij (*e*)

(*a*) Sanchez L. 1. Disp. 30. N. 2. Engl. Q. N. 7. Zoës ✕ ff. h. t. Covar. inepit. p. 2. C. 3. L. 6. C. de Spons. L. 134. de V. obl. C. 29. ✕ h. t. à summis tamen principibns hoc non observatum fuisse videmus à Carolo V. Imperatore, qui rescisso Sponsalitio contractu, Henerico VIII. magnæ Brittaniæ Regi pœnam conventam 500. millia aureorum anno 1529. solvit. Habemus & aliud exemplum in Carolo I. Angliæ primogenito, & Henrietta Maria Henrici IV. Galliarum Regis, cui placuit, ut pœnitentiâ ductus à contractis Sponsalibus recedens, innocentia pœna loco anno anno 1625. quadringentos mille coronatus, numeravit. Simile habetur anno 1550. in Eduardo regi itidem Brittaniæ. (*b*) Vall. Q. 3. N. 2. Zoës ff. h. t. N. 7. cit. L. 5. C. (*c*) d. L. 5. Zoës cit. N. 8. & Vall. eod. (*d*) d. L. 5. C. ad finem Zoës citatus (*e*) Ita communiter DD. Sanchez P. 1. Disp. cit. Engl. Pirrh. Laessius. Zoës &c.

## QUÆSTIO VII.

*An obligent clandestina Sponsalia? aff.*

**E**x his rationibus Concil. Trid. tantum matrimonium clandestinum irritavit, ergo neutquam Sponsalia, exclusio enim unius est inclusio alterius. 2. Trid. tale matrimonium irritans est correctorium juris communis, quod ultra casum expressum, etiam ob identitatis rationem non venit extendendum, correctorium enim utpote odiosum est restringendum L. 32. C. de appell. Ergo Sponsalia clandestina debent tanquam juri communis conformia ut casus non expressus in correctione, relinquunt Arg. L. 10. ff. de lib. & posth. C. 2. § de cland. despens. Confirmatur Lex correctoria per quam reducimur ad jus commune est favorabilis, & extendenda, ergo correctoria per quam à jure communi dissentimus, utpote odiosa non extendenda est. Ita Gloss. cap. Statutum 3. in verbo numerandum, de præbendis in 6. Navar. de pœnit. Dis. 6. C. 1. §. labore N. 19. Confirmatur 2. Sponsalia nomine matrimonij non veniunt in odiosis Gloss. clem. un. de consang. in verbo contrahere Layman. L. 5. tract 10. p. 1. C. N. 3. Tertiò Excommunicantur ducentes consanguineam, vel monialem, non tamen Sponsalia cum similibus contrahentes cit. clement. cur ergo, quod non mutatur stare prohibetur L. 27. C. de testam.

## QUÆSTIO VIII.

*Si quis matrimonium promittat cuidam, & insuper aliam duxerit, ducta vero mortua sit, an obligatio prioris promissionis denuo vires accipiat, ita ut illam ducere teneatur?*

**M**ovet hanc questionem Zoës § h. 1. & Negativè sentit. Ego salvâ tanti viri autoritate in affirmativam descendendo, fundamentum conclusionis meæ sit primum. Obligatio semel

semel quoad totum extincta , nequit amplius vires accipere  
L. 8. §. aream ff. de solut. sed matrimonium quoad totum Spon-  
saliorum obligationem extinguit C. 31. ¶ h. t. ergo , &c.  
Secundò Argumentor cum insigni Parisensi Doctore Petro  
Azebedo tract. 4. aphor. 11. Si esset ratio , quare hæc obli-  
gatio revisceret, esset quod in hoc casu tantum suspensa foret  
obligatio; hoc est falsum, ergo & id unde. Major est Zoësii mi-  
norem sic demonstrat, quia sic relinqueretur spes priori Sponsæ,  
subsecutura morte alterius matrimonii, quæ est turpis, conti-  
net enim votum captandæ mortis tacitum. Tertio vinculum  
Sponsaliorum intercedente matrimonio , vel rumpitur , vel li-  
git, si rumpitur, ergo sine novo consensu non poterit redinte-  
grari, si ligat, ergo potest quis esse in matrimonio duplici vin-  
culo ligatus, quod absurdum neutiquam admittendum.

### THEISIS VIII.

#### DE NUPTIIS , SEU MATRIMONIO.

**M**atrimonium à matre dictum (a) Nuptiæ à  
nubendo (b) definiuntur viri , & fæminæ  
conjunctio, individuam vitæ consuetudinem con-  
tinens (c) causa efficiens est consensus liber ab  
omni metu justo (e) materia sunt ipsa corpora  
contrahentium (e) forma est consensus debitè ex-  
pressus (f) Ministri sunt contrahentes (g) non  
verò Sacerdos. (h)

(a) Ita D. August contra Faust cap. 20. fæmina enim non  
ex alio fine nubere debet, quām ut mater fiat, matrisque no-  
men speret, vel ideo quia matri fœtus ante partum onero-  
sus, in partu dolorosus , post partum laboriosus Cap. 2. ¶  
de conver., aut quia ut Mantz Inst. de Nupt. mater est certa, pa-  
ter autem incertus, sive ideo, ut omnia suis distinguantur no-  
mia

minibus, patrimonii enim nomine aliunde aliud venit (b) seu  
vellando in signum, ut foeminæ sciant, se maritis subjectas esse  
Cap. 7. causa 30. q. 5. Ca. 8. eod variæ acceptiones, & Synoni-  
ma videre sunt in Sanchez. b. t. Gokelio Cap. 2. N. 2. hodie nomi-  
ne nuptiarum venit dies, in qua solenniter & hilariter Sponsus,  
& Sponsa junguntur, der Ehrn-Tag / Schneid. b. t. N. 2. (c)  
Cap. 11. ¶ de præsump. q. 1. Inst. de pat. pat. L. 1. ff. hic. vel est  
omnis vitæ consortium, divini, humanique juris communio  
d. L. 1. (d) can. 1. & 4. causa 27. quest. 21. Cap. 14. & 15. ¶  
hic Panormit. in C. 14. N. 7. de Sponsal. valde notabilem hujus  
rationem ponit. C. 4. ¶ de his, quivi. L. 6. C. eod. Barbo. in coll.  
ad cap. Sacris eod illum justum vocat, quando minus, præ  
majori malo eligitur. Ex parte fæminæ ille est justus, qui  
cadit in constantem fæminam Panor. cit. N. 6. (e) Vall. q. 6.  
N. 1. b. t. contragloss in C. 26. ¶ eod. (f) sicut enim in aliis con-  
tractibus consentus talis requiritur, ita & hic cit. Vall. N. 2. (g)  
is enim hujus Sacramenti minister est qui formam inducit ma-  
teriæ, hoc faciunt contrahentes verba apta pro ferendo,  
aut signa edendo, hodie ex Trid. illa signa & apta verba coram  
Parocho, & duobus testibus proferri debent juxta illud

Si Parochi & duplicitis desit praesentia testis.

(h) hoc patet ex eo, quia ante conc. Trid. etiam clandestinè ve-  
rum matrimonium contractū fuit, Item quòd secundæ Nuptiæ  
non benedicebantur à Sacerdote. D. Tho. 4. dis. 26. q. 2. Art. 1.

### QUÆSTIO IX.

An parentum consensus requiratur de necessi-  
tate, & sub nullitate ad filiorum nuptias de jure  
civili? Neg.

Non me Thrasonica ad negativam contra communem  
movit jactantia, sed ut Acatholici, qui unanimiter con-  
tendunt, etiam de jure canonico necessario, & sub nullitate ma-

trimonii requiri hunc consensum, convincantur, dato enim  
semel illis (quod putant extra controversiam) de jure civili  
ita requiri consensum, non ineptè deducunt, etiam sic requiri  
parentum consensum de jure canonico. Contra quos ergo sit  
primo argumentum in quest. prima allatum. Secundò si res non  
est integra separandi tales non sunt (ita adversarii Corras; mi-  
scellea. Cap. 17. Oldendorp. class. 4. art. 26. Schneid. de lic. nupt. N.  
25.) ergo saltem post consummationem sine parentum consensu  
initum matrimonium consistit, quod dici non posset, si ab-  
solutè consensus parentum requereretur. Tertio in Publicis fi-  
lius fami. habetur pro patrefa. L. 9. ff. de his, qui suier. L. 13. in  
fine L. 14. in pr. ff. ad S. C. Treb. sed matrimonium est publici ju-  
ris L. 2. ff. de jur. dot. L. 1. ff. Sol. matr. ergo in contrahendo  
matrimonio filius fami: habetur pro patrefam: sed si habetur  
pro patrefam non requiritur de necessitate parentis consensus  
ergo, &c. Quarto probatur per L. 1. ff. & fin. de lib. ex hibendis, ubi  
bene concordans matrimonium jure patriæ pote-  
statis non debet turbari. Quintò optimè confirmat  
Cujac Lib. 3 observ. C. 5. ex Lib. 5. Paul. sent. 19. ubi. cum mani-  
festò propter publicam utilitatem Nuptiarum, quæ injussu pa-  
rentum contracta sunt, non dissolvi tradat, imperfecta lex illa ci-  
vilis est, quæ vetat nuptias injussu parentum contrahi, censet  
enim uxorem injustam esse, injustos liberos, atque injustas nup-  
tias, nee eas dissolvit. quo textu nihil clarius. Sententia hec est  
Giphanius, & Guiberti: Quamvis de honestate omnino paren-  
tum consensus requiratur, quam honestatem etiam Ludovicus  
XIV. Galliarum Rex obseruavit: dum ita ad Catholicum  
Regem 1659. die 22. Septembris scripsit: Fatemur eas ob res  
extraordinarium ad Majestatem legatum mittimus, dilectum  
nobis, & gratiosum cognatum nostrum Ducem Grandmon-  
tanum, &c. ut nostris verbis ac nomine Majestatem vestram  
oblecret, ab eaque haud gravatè impetrat, ut Serenissimam in-  
fan-

fantem matrimonio habere possimus, Sponsaque nostra in  
Gallias perducenda ei credatur, &c.

## QUÆSTIO X.

*An metus reverentialis vitiet matrimonium?*

**C**ommunis est negativa, & sat probabilis opinio ex Cap. 25.  
**X** de Spons. arg. L. 3. ff. quod met. caus. L. 22. ff. derit.  
nupt. L. ad invidiam C. de his qui vi &c. Affirmativam nonnulli  
tenent inter quos est Igneus Inst. h. t. moti L. 1. Q. 6. quarum re-  
rum ac non detur. Et L. pen. ff. de furt. Optimè Covar. de matr.  
p. 2. C. 3. N. 4. sentit cum Fach. 2do controv. C. 96. distinguendo,  
& reconciliando has sibi contrarias opiniones, quòd si alia con-  
currant cum metu reverentiali v.g. importunæ persuasiones, vel  
si modesta contradic̄tio non juvisset, tunc vera esset affirmati-  
vum, si autem præter metum reverentiale similia non con-  
currant, vel ab his præscindatur, tunc Negativa opinio obti-  
neret, quod & nos sentimus.

## THESIS IX.

**P**orrò matrimonium dividitur in legitimum,  
ratum, & consummatum (a) requisita ad hoc  
sunt, ut sint puberes contrahentes (b) Jus civile  
definit pubertatem in maribus 14. annos, in fæ-  
minis duodecim (c) canones verò pubertatem ex  
habitu corporis metiuntur, attendendo potentiam  
generandi. (d)

(a) Sanchez L. 2. Disp. 1. N. 9. Primum est inter insi-  
deles. Secundum cum Sponsalibus de præsenti idem est, quod  
ex primæva Dei Institutione Genes. 1. vers. 28. coram Paro-  
cho, qui & illis benedit, & duobus testibus contrahitur. Ter-  
tium ut dum interveniente copula duo sint unum in carne C. 5.

~~N~~ de frigid. & malef. Ita D.D. passim explicant, & dividunt.  
(b) Prin. Inst. hoc tit. C. 3. ~~N~~ de despōn. impub. Covar. p. 3. de  
matrim. C. 5. (c) pr. Inst quib. mod. tutel. finit. L. 4 ff. h. tit. Cap.  
fin. ~~N~~ eod. Guiterez in auth. Sacram. pub. 4. C. si adversus vend.  
non observato quod vult Arist. L. 7. Polit. ut nimirum masc.  
36, & fēmina 18. annorum sit. (d) C. 3. & 8. ~~N~~ de desp. impub.

## QUÆSTIO XI.

*An verum sit matrimonium absque copula?*  
Affirm.

Cum consensus non concubitus faciat matrimonium C. 1.  
*Caus. 27. q. 2 dà*, nam copula carnalis, uti in emptione so-  
lutiō venit in consequentiā quæ autem in consequentiā ve-  
niunt à jure non curantur. Optimè probat can. 3. *causa 27.*  
*q. 2.* ubi inter Beatam Virginem, & S. Josephum verum fuit  
matrimoniuī, in hoc matrimonio copulam abfuisse omnes Ca-  
tholicæ religionis credunt, quamvis B. Virgo Virginitatem suam  
Deo in corde vorvit, committendo se *Divina dispositioni*, consensit  
quidem in copulam, non eam appetendo, sed se *Divina dispositioni* in  
utroque subiendo. Hæc sunt formalia cit. cano. *causa. 27.*

## QUÆSTIO XII.

*An dolus matrimonium vitiet?*

Omnia optima circa hanc quæstionem distinguentium  
sententia est, inter dolum dantem causam contractui &  
incidentem. Primus vitiat contractum matrimoniale, quod  
sic probatur: dolus qua talis omnes contractus bonæ fidei  
vitiat, ita ut ipso jure nulli sint L. 7. ff. *de dolo ubi gloss Barth.* &  
*alii eod. tit. L. 3. §. ult. ff pro socio*: sed matrimonium est con-  
tractus L. fin. C. de repud. bonæ fidei Arg L. 5. ff. *de act. rer.*  
*amot L. 1. ff de rit. Nupt.* ergo dolus dans causam matrimo-  
nio, illud vitiat. Confir. dolus dans causam contractui tollit  
voluntarium, nam Dolus ut sic est, quo posito contractus  
non

non fuisset celebratus. Hoc præmisso sic argumentor ubi tollitur voluntas tollitur consensus, sed ubi tollitur consensus, nullum est matrimonium, ergo ubi tollitur voluntas nullum est matrimonium, sed ubi adest dolus dans causam contractui tollitur voluntas, ergo nullum est matrimonium. Item nemini dolus patrocinari debet, aut lucro esse C. s. ~~X~~ de empt. & vendit. C. 2. ~~X~~ de dol. Urgeo; metus (*ut in priori thesi litt. d. probavi*) cadens in constantem virum reddit matrimonium ipso jure nullum, non obstante quod coæcta voluntas, etiam sit voluntas, & sic voluntarium non simpliciter per metum aufertur L. 21. Q. 5. ff. quod. met. caus. ergo multò magis dolus reddit matrimonium nullum.

## THESES X.

Item requiritur ut contrahentes sint cives Romanii (a) unde Peregrini & servi à nuptiis repelluntur (b) coëant juxta leges (c) contrahentes mutuò consentiant (d) ad hoc ut legitimum sit, præcedat parentum consensus (e) senium non impedit nuptias contrahere. (f)

(a) Sive patresfamil. sive filii fam. pe Inst. b. t. Mantz. eod. N. 2. (b) cit. Mantz. Schneide. Wesen. in parat. N. 4. ff. de rit. nupt. Hunnius vol. 2. thes. 4. quæst. 38. Nuptiarum enim nomen dignitatis est, ad quam servi inhabiles sunt, ac inter illos tantùm contubernium est L. 3. C. de incest- Nupt. Harp. Jul. Paccius. Zoës N. 9. ff. hic (c) cit. Wesenb. Schneid. Inst. hic (e) pe. Inst. L. 2. 18. ff. L. 12. C. de Nupt (f) ablata lege Popia Poppæa quæ prohibebat viros sexagenarios, & fæminas quinquagenarias nubere, quod p. L. 27. C de Nuptiis sublatum est Mantz. Inst. hic, si autem ita decrepitæ forent ætatis ut nullus

omnino finis possit obtineri, Lexilla Popia Poppæa adhuc pos-  
set obtinere. Ita Barbo. ad L. 10. p. 1. N. 94. sol. matr.

### Q UÆ S T I O X I I I .

*An parens possit filium exhæredare ob id, quod  
sine illius consensu nupserit? Neg.*

**I**Ta sentit Engl de despousat impub. N. 7. ratio à doctoribus  
communiter assignatur, quia hæc causa non continetur in  
Novell. 115. C. 3. juxta versus, qui in omnibus passim autho-  
ribus videndi sunt Fach. Contrav. L. 3. C. 44. Covar. in epith. de-  
sponsal. part. 2. C. 3. Q. 89. N. 5. Hostien. C. 1. despousal.

### Q UÆ S T I O X I V .

*An econtra pater filiam possit exhæredare, qua  
in corpus suum peccavit?*

**R**es distinctione opus habet, vel enim illa viginti quinque  
jam annorum est, & eam pater viro elocare neglexit,  
aut noluit, vel minorenis est; Si primum eam exhæredare  
non potest, benè namque Egnatius antiquus Theologus dicit;  
culpandus est pater, qui filia tumida jam virginitate de mari-  
to non prospicit, & idem: virgo matura ne aniles rugas ex-  
spectet, qua patrem, ut viro locetur, tacite rogat, juxta il-  
lud claud.

*Nubilis interea matura virginis etas  
Urgebat patrias suspenso principe curas.*

### THE S I S XI.

**N**on autem nobis omnes uxores ducere licet  
(a) ob impedimenta hic & nunc exponenda  
(b) quorum alia sunt impedientia, alia dirimen-  
tia (c) impedimenta iterum alia sunt sine, alia cum  
delicto. (d)

(a)

(a) *Inst. Q. 1. h.t. ne homines instar bestiarum promiscuè coeant Maniz.* *Inst. h.t. Ludweli. hic Q. 1.* (b) *Vall. Q. 10. N. 1. Zoës & h.t. Engel. eod. Sanchez. Lib. 7. de Sponsl.* (c) *dirimentia his versibus continentur.*

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Si sis affinis, si forte cōire nequibus.*

*Hec socianda vetant conjugia, facta retractant.*

Et ex concil. Trident.

*Si Parochi, & duplicitis desit presentia testis,  
Raptaque sit mulier, nec parti reddit a tute.*

(d) *Sinedelicto his complectuntur.*

*Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum.*

*Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum.*

Cum delicto.

*Insceptus, raptus, Sponsatae mors mulieris,  
Susceptus propria Sobolis, mors presbyteralis,  
Vel si peniteat solenniter, aut moniale  
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.*

De his dissertè tractat Sanchez L. 7. & nos de aliquibus hic.

## QUÆSTIO. XV.

*An per consuetudinem possit derogari impedimentis dirimentibus, si ritè prescripta sit?*

Judicio rem distingendam esse inter dirimentia juris naturalis & divini, ac inter Ecclesiastica. 1. non posse derogari notiorii juris est, 2. potest canonice inhabilis, reddi per consuetudinem habilis. Arg. C fine de Coquet. ubi legi ad derogandum habet vires consuetudo. Ergo lex statuens ea impedimenta dirimentia merè humana potest ab & derogari per consuetudinem, & cum lex naturalis positiva in cit. cap excepta sit, firmat exceptio regulam. Intelligimus autem hoc fieri posse per rationabilem, & legitimè præscriptam.

QUÆ-

## QUÆSTIO XVI.

*An inter raptorem, & raptam consistat matrimonium?*

R. contra Justinianum in L. un. C. de rapto virg. Statutum est in C. ult. § de raptor. Et hoc jus sequitur, attamen moderatione servata Conc. Trid. Sess. 24. C. 6. de reform. matr. ubi decernit inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse matrimonium consistere. Et si haec ab illo separata, in loco tuto, a clibero constituta illum in virum habere consenserit, eam in uxorem raptor habeat. Nihilominus tamen raptor ipse, & omnes illi, qui consilium, seu opem dederunt ipso jure excommunicati, ac perpetuè infames, omniumque dignitatum incapaces sint: Et si clerici fuerint de proprio gradu decident. Tenetur insuper raptor raptam, sive eam duxerit, sive non decenter arbitrio judicis dotare.

## THEISIS XII.

**E**rror autem aliis est personæ (a) alias conditionis (b) alias qualitatis (c) alias fortunæ (d) hi errores alii sunt antecedentes, alii concomitantes (e) Ignorantia simplex non est id, quod error (f) primus & secundus vitiat, non autem tertius & quartus. (g)

(a) Ut si quis putat se contrahere cum Bertha, & contrahit cum Sempronia (b) si quis putetur liber & servilis conditionis est (c) credit v. g. quis se accepturum nobilem, & est plebeia (d) existimans esse divitem, & tamen pauper est (e) Vallen. § de servil. cognat. N. 1. (f) nisi admixtum habeat errorem, nunquam enim contingit error personæ absque aliquanta personæ notitia, vel ex visu, aut saltem auditu, & fa-

fama arg. L. 41. q. un. ff. de contrahen. empt. Item h. 77. eod.  
(g) error enim personæ libertatem, & consensum tollit L. 15.  
ff de jurisdict. L. 9. Cod. de juris & facti ignorant. per 3. & 4.  
non aufertur voluntarium Sanchez L. 7. Disput. 18. N. 18. Vall.  
¶ de coniug. serv.

## QUÆSTIÒ XVII.

*An valida sit dispensatio, si quis eam impetravit allegando falsam causam, vel tacendo veritatem?*

**R**Esp. vel falsitas expressa, aut veritas occultata est causa finalis, dispensationis, aut impulsiva; finalis tunc est, quando ea non existente Papa non dispensasset, vel saltem non eo motivo, quo dispensavit, sed magis restrictè. Si hoc, talis dispensatio nulla erit, omnia enim rescripta tacitam habent hanc conditionem, si preces veritate nitantur C. 2. ¶ de rescript. Si autem veritas occulta, vel falsitas expressa tantum impulit, tunc valebit dispensatio Sanch. L. 8. Disp. 21.

## T H E S I S XIII.

**C**Ognitio alia est Spiritualis, alia naturalis, alia legalis (a) Prima est vinculum seu conjunctio nascentis ex constitutione ecclesiæ, inter aliquos ex baptismi, & confirmationis collatione, & recipientis hæc Sacra menta susceptione (b) Secunda est vinculum seu cohærentia personarum ex eodem stipite, seu sanguine propinquorum descendentiū (c) legalis est proximitas per adoptionem aliquius proveniens (d)

(a) De prima in tit. 11. L. 4. de secunda in 14. de tertia in tit. 12. cit. libri agitur (b) Cap. ult. in 6. b. t. Engl. eod.

*Vall. N. 4. de cognat. Spirit. (c) cit. Vall. N. 1. eod. (d) Sanchez. de legali Engl. & Vall. eod. adoptio autem definitur Legitima liberi hominis in filij locum assumptio L. 2. 4. C. de adopt. Pomeresh. Inst. eod.*

## QUÆSTIO XVIII.

*An cognitioni legali, seu adoptioni ea sit vis, ut adoptatus Plebejus à Nobili consequatur Nobilitatem?*

**T**anta est inter authores circa hanc quæstionem disceptatio, ut an affirmativa, an Negativa probabilius sit, multi hæreant. Nos negativæ utpote communiori hæc subscribimus argumenta: Primò omnis nobilitas est privilegium, hoc non prodest alijs, quām quibus est concessum L. 14. 15. ff. de legib. Secundò desumimus argumentum ex L. 23. ff. de adopt. ubi adoptio non jus Sanguinis, seu nobilitatis adfert, sed tantum jus agnationis, vi cuius in patriam transit potestatem, si non extraneo datus est in adoptionem. Tertiò esto feudum sit concessum Sempronio, & ejus descendantibus, hæc tamen concessio nullatenus ad adoptivos extendi potest C. 1. Q. adopt. Si de feud defunc. conten: quia nimirum dominus concedens, si voluissest adoptivis benefacere, illud procul dubio expressisset, cum itaque omiserit, Legitimus tantum filius vasalli jure à feudo excluditur, ergo etiam cum princeps hoc in passu nullam fecit mentionem de consequenda nobilitate, illam adoptivus non assequetur. Nam nobilitas, vel à natura, vel à principe conceditur, hic autem neutrum intervenit, ergo stat adhuc, quòd adoptio non tribuat nobilitatem.

## QUÆSTIO XIX.

*An quarta à Divo Pio introducta sit omnium bonorum?*

**R**Esp. contra Zoës N. 11. ff. de adopt. cum Hunnio Inst. de causis patr. post. quest. 34. esse omnium bonorum, ratio con-

clu-

clusionis est primò ex p. 3. Inst. de adopt. L. finl. ff. quod in fraud.  
patrono: qui exprestè dicunt, quòd ex constitutione D. Pij filijs  
arrogatis debeatur quarta, quæ fuit tempore mortis, sed quar-  
ta, quæ fuit tempore mortis est omnium bonorum, ergo illis  
quarta omnium bonorum debetur. Accedit L. 2.C.L. 22 p. 1.  
ff. de adopt. L. 8. p. 15. ff. de inoff. testam. Item L. 1. p. 21. ff. de  
coll. Secundò ubi volunt contrarium Sentientes, quòd, cum  
filij naturales & legitimi debeant esse contenti cum quarta  
quartæ, etiam arrogatus cum hac acquiescere debet, in contra-  
rium optimè firmatur cum disparitatis ratione: bona enim ar-  
rogati, si pubes moriatur, arrogatori cedunt, Item ex arrogati  
bonis commoda, & lucra percepit, ideoque cum senserit, &  
sentire potuisset commodum, non debet gravari eidem om-  
nium bonorum quartam relinquere, quæ ratio in naturali  
omnino cessat.

## THESES XIV.

Cognatio generaliter sumpta dividitur in agna-  
tionem, & cognationem (a) Unde agnati sunt,  
qui ex eodem Sanguine per virilem sexum descen-  
dunt (b) cognati verò, qui ex eodem Sanguine  
per lineam fæmineam veniunt (c) Hæc differentia  
quoad Successiones ab Imperat. Justiniano sublata  
est (d) cognati autem alij sunt ascendentes, alij de-  
scendentes (e) alij denuò collaterales (f)

(a) p. 1. Inst. de leg. agnat. tut. p. 2. Inst. de leg. agnat.  
success. L. 10. p. 1. & 2. ff. de grad. Pomares. Inst. cit. (b) de  
p. 2. Inst. Vall. & de consang. (c) d L. 10. p. 2. ff. & d. p. 2.  
Schneid. hic (d) Nov. 116. Cap 4. (e) ascendentes, qui nos ge-  
nuerunt, descendentes, qui ex nobis nati sunt Zoes N. 3. ff. de  
grad. Mantz. hic (f) id est qui ex latere nobis conjuncti sunt,

qui neque nos genuerunt, neque ex nobis geniti sunt, sed communem nobiscum sanguinem traxerunt Zoës & ff. de grad.

## QUÆSTIO XX.

*An matrimonium sit de præcepto omnes omnino obligans?*

**A**ffirmativam tenent Augustanæ religioni adhærentes ex Aeo, cum sit juris naturalis, quod neque pro parte mutari posse patet ex Inst. de jure. Nat. gent. & civl. Zoës ff. de just. & jur. Sic etiam votum castitatis laboriosè insectantur. Nos vero avitæ, atque orthodoxæ fidei dogmatibus imbuti negativam tenemus: Nam olim ante genus humanum sufficienter propagatum singula generum obligavit ad genus humanum conservandum, & ampliandum, postea hoc desistit, & genera singulorum tantum obligare incepit, id est communitatem seu remp. ut per aliquos ei præcepto satisfiat. Matth. 19. C. ubi dominus laudat eos, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Paul. 1. ad corinth. 7. ait. benè facere eos, qui virginem suam matrimonio jungit, melius autem, qui non jungit. Ita Sanchez. L. 2. D. 3. N. 3. Zoës N. 28. ff. de just. & jur.

## QUÆSTIO XXI.

*Si omnes perirent præter monachos, an præceptum matrimonij eos obligaret?*

**P**utant aliqui eos non teneri ex eo, quia finis mundi videtur adesse: Rq. tamen cum Soto affirmative, quia, cum præceptum matrimonij naturale sit, urgente necessitate obligabit singulos, nisi forte extaret revellatio finis mundi, & advenientis Messiae. Sic si principis cuiusdam filius monasterium ingrediatur, posteaque deficientibus alijs ex familia, hæc eliminari posset, ipse cum Pontificis dispensatione ad bonum reipub. posset matrimonium contrahere. Sanchez. L. 2. Disp. 3.

## THESES XV.

**E**ffectus ergo matrimonij sunt, quod ex justis Nuptijs legitimi nascantur filij (a) atque in nostram constituantur potestatem (b) naturales tantum autem per subsequens legitimantur (c) Legimantur itidem per rescriptum Principis, & per oblationem curiae (d) mulier mariti dignitatis, & nobilitatis fit particeps, sequiturque forum mariti (e)

(a) Cap. 7. & 11. ¶ qui fil. sint legit. § penult. Inst. de Nupt. (b) L. 3. ff. de his, qui sui &c. (c) C. 1. & 6. ¶ d s. Vall. ¶ eod. Zoës. N. 4. ff. de concub. (d) ¶ ult. Inst. de Nupt. Zoës d. N. 4. & 16. Nov. 74. ¶ si quis sane. Est autem legitimatio legis actio, qua illi, qui naturales tantum sunt, patri suo legimi efficiuntur. Idem Zoës cit. (e) L. exigere 65. ff. de jud. L. mulieres C. de dignitatib: Zoës N. 11. ff. de rit. nup.

### QUÆSTIO XXII.

*Locumne habeat legitimatio per subsequens matrimonium, si tempore conceptionis fæmina non potuerit esse uxor? R. Neg.*

**C**ontra Fach. 3. cont. C. 50. Molin de I. & I. Disp. 172. N. 14. cum Suarez. De censur. Disp. 50. Sect. 1. N. 3. Laym L. 5. Theolog. moral. tract. 10. par. 3. C. 5. N. 2. Pirrhing. L. 4. qui filij sint legit. ¶ 5. N. 34. & alijs, nam ut locum habeat legitimatio per subsequens matrimonium, debet partus ex tali fæmina conceptus fuisse, cum qua potuit esse legitima consuetudo. ¶ fin. Inst. de Nupt. L. 11. C. de Natur. lib. Nov. 89. Cap. 8. Sed cum adultera legitimam consuetudinem esse, nemo dicet, ergo conceptus ex adultera legitimari nequit per matrimonium. Conf. ut procedat legitimatio duci debet talis fæmina

mina quæ fuit ante concubina L. s. eod. de natur. lib. Sed fæmina adultera non fuit, nec esse potuit concubina, ergo si ducatur adultera, non procedit legitimatio, facit pro nostra Cap. 6. & qui fil. sint leg. ubi de prole adulterina dicitur esse spuriam, quæ non legitimatur arg. Q. pen. Inst. de nupt.

### QUÆSTIO XXIII.

Requiriturne ad legitimationem per subsequens matrimonium liberorum consensus tam jure Can. quam civili?

**R**Esp. tam de jure civili N. 89. Cap. 11. ubi Justinian. Generaliter autem in omnibus, qui per predictos modos deducuntur ad legitimum jus, tunc hoc volumus obtinere, dum & filij hoc ratum habuerint. Nam si solvere jus patriæ potestatis invitatis filiis non permisum est patribus, multò magis in potestatem redigere invitum filium & nolentem sive per oblationem curie, sive per instrumentorum celebrationem, sive per aliam quamcunque machinationem: quam canonico requiri, quia jus canonicum hac in parte non potuit derogare civili, cum in ordine ad successiōnem legitimatio, & effectus alios jure civili introductos est negotium politicum, atque reformationi Pontificiae non obnoxium, ergo si ad legitimationem consensus requiratur liberorum jure civili, etiam canonico. Neque S. S. canones frontis sunt tam perfictæ, ut leges civiles sequi alto supercilio denguentur Cap. 1. de nov. oper. nunt.

### THESES XVI.

**R**equiritur itaque ad legitimationem per rescriptum Principis, ut diximus, consensus (a) Secundò videtur desiderari parens nullos habeat alios liberos (b) Tertio voluntas patris offerentis eos

Principi (c) Quartò ut quidam credunt, citationem proximorum cognatorum requiritur (d) Quintò nonnulli causæ cognitionem necessariam opinantur (e)

(a) D. N. 89. C. 11. propterea, quod non debeant jure suo privari (b) Nov. 74. C. 1. ne justis liberis existentibus per legitimationem præjudicium nascatur : Princeps tamen non impeditur etiam justis liberis existentibus, naturalibus legitimorum jura tribuere, cum notorium sit ex causa posse eidam jus suum auferre (c) d. Nov. 89. C. 10, licet in ultimo mortis articulo constitutus esset (d) qua tamen non videtur opus esse, cum adoptio etiam iis invitis, & contradictientibus procedat. Bart. in L. Gallus §. & quid si N. 13. Jason ibid. N. 130. etiam legitimatio utpote favorabilior procedet (e) omissa tamen, legitimatio nihilominus procedit, cum principi non sit de facto inquirendum.

#### QUÆSTIO XXIV.

*Sitne legitimatus in uno territorio, etiam in alio agnoscendus pro legitimo?*

T ractant hanc quæstionem Fach. 3. contr. C. 38. Bacchov. ad ff. N. 4. delegi. & distinguendum esse, an legitimaverit princeps subditum alienum, an verò proprium. Si alienum, tunc licet legitimatus consequatur jura legitimorum in territorio legitimantis, non tamē in territorio principis proprii, nam princeps in alium autoritatem nullam obtinet: Nec par in parem habet jurisdictionem, adeoque obstringere unus alterum nequit, ut in ordine ad successionem subditum illegitimū agnoscat pro legitimo. Si proprium legitimavit, videndum est, sintne jura legitimationis in utroque territorio æqualia, an econtra. Si primum legitimatus etiam in altero agnoscendus est pro legitimo. Si 2. non est agnoscendus quia si legibus utriusque ter-

ritori V. G. ad successionem legitimatus admittatur, & Princeps unus subditum proprium legitimet, non tam adstringit principem alterum, ut pro legitimo eundem agnoscat, quam ponit conditionem, sub qua liberi illegitimi in utroque territorio ad successionem admittuntur. Ast si in uno territorio legitimati authoritas nulla constet, efficere non potest princeps alter, ut constat, par enim in parem non habet imperium.

## QUÆSTIO XXV.

*An concubinatus de jure canonico sit admissus?*

**R**ationem dubitandi faciunt duo textus in jure canon. reperibles id omnino affirmantes, ut videre est in *textu can. 4. & 5. dis. 34.* qui etiam Evangelicæ religionis asseclas ad id affirmandum commovent: quibus tamen nihil, aut parum obstantibus Negativam amplectimur, pro nobis faciunt *C. 6. Dist. 34. can. meretrices causa 32. q. 4.* conjunctio enim qualiscunque extra matrimonium foveat peccatum mortale, eoque gravius quo longiori tempore durat *Zœs N. 2. ff. de concubinis.*

## THEISIS XVII. DE JURE DOTIUM.

**D**Os est pecunia, quæ ab uxore, vel ab alio ejus nomine pro sustinendis matrimonii oneribus marito datur, remittiturve (*a*) alia est profectitia, alia adventitia (*b*) profectitia est, quæ à patre, ejusque rebus proficiuntur (*c*) adventitia, quæ à quovis alio, vel ex ipsis mulieris bonis data est (*d*) constituitur ante vel post nuptias (*e*) pater

ter filiam dotare cogitur (f) nisi in corpus pec-  
cārit. (g)

(a) Ita colligitur ex L. 20. & passim C. de jure dot.  
Vall. & de donat inter vir. Zoes. N. 1. ff. b. t. (b) L. 5. ff. hic  
L. 6. C. eod. cit. Zoes N. 4. (c) d. L. 5. ff. (d) L. 5. §. 6. ff. eod.  
(e) ante constituta hanc habet conditionem, si nuptiæ sequan-  
tūr, hujus promissionis effectus est, ut licet nudum tantum pa-  
cium interveniat, ex ea agi possit L. 6. C. de dot. promiss. ita po-  
stulante dotis favore (f) L. fin. C. d. tit. L. 19. ff. de rit. nupt.  
paternum enim officium est dotare filias L. 7. C. de dot. promiss.  
(g) Nov. 118. C. 3. Treut. Thes. 2. Litt. F. ff. de jur. dot.

### QUÆSTIO XXVI.

*An pater emancipatam dotare teneatur?*

**N**egat corras: ad L. 19. ff. de rit. nupt. pro quo textus L. 44.  
ff. b. t. &c. tamen cum veriori etiam hanc dotandam esse,  
ut habet L. fin. C. de dot. promiss. in cuius principio agitur de  
constitutis in patria potestate, & emancipatis dotandis, regu-  
laque generalis ibi est: Neque enim leges incognitæ sunt, quibus  
cautum est, omnino paternum esse officium dotem, vel ante nup-  
tias donationem pro sua dare progenie. quod etiam de eman-  
cipata debet intelligi L. 5. §. 11. ff. de jur. dot. facit etiam  
quod dotes ad jus gentium pertineant L. 8. ff. de cap. minut.  
Item quod onus dotandi trahat originem ex affectu naturali,  
cui actus à Jure civili inventus, ut est emancipatio, non potest  
derogare. Arg. 11. Inst. de jur. nat. gent. & civ.

### QUÆSTIO XXVII.

*An pater filiam divitem dotare teneatur?*

Affirm.

**I**ta me docent Barb. Gail. 2. observ. C. 95. N. 4. Nam ea, quæ  
sunt introducta in favorem alicujus, non debent in ejus odium  
detorqueri L. quod favore C. de legib. sed dos est introducta in

favorem filiæ. Secundò generaliter , & indistinctè in *L. fin. C.*  
*de dot. promiss. traditur*, patris esse officium dotare filias *L. 19.*  
*ff. de rit. Nupt.* Accedit , dum adversarii volunt, quod dos locò  
alimentorum cedat, dives autem aliunde habet alimenta : nam  
¶. non utriusque par ratio est , cum alimenta non debeantur  
nisi ad usum necessarium , qui cessat , si aliunde de alimentis  
filiæ consultum sit : Dos verò datur, ut filiæ de optimo pro-  
videatur marito. Malè namque argumentamur ab alimentis  
ad dotes *Gail. cit. N. 14. Hunn. ad Treut. Thes. 2. Lit. C. de jur. dot.*  
*Bronchorst Cent. 2. aff. 24.*

### THESIS XII X.

**N**on tenetur quoque pater dotare filiam hæ-  
reticam (a) nec turpiter viventem (b) nec in-  
digno marito ante annum 25. nubentem (c) non  
naturrealem tantùm (d) non spuriam (e) quòd fra-  
ter Sororem mediis destitututam dotare teneatur  
(f) admittimus.

(a) *L. 19. C. de heret. Nov. 115. C. 3. Q. 14. de Just.* descri-  
bit Imperat: eos esse, qui leviter à judicio Catholicæ Religionis  
tramite detecti fuerint deviare (quod *Treutl in the. 2. Litt. E.*  
*h. t. malè suæ religioni applicat mutandoly Catholicæ in Chri-  
stianæ) *L. 2. Q. un. C. de heret. Nov. 109. in fine.* (b) *L. 19. C. de*  
*inoff. test. N. 115. C. 3. Q. ubi malè Bacch. in thes. 2. Litt. f.*  
*Treutlerum culpat thesim hanc non rectè positam.* Cum for-  
malia Nov. citatæ id ipsum indicent (c) auth. sed si post *C. de inoff.*  
*test. Gail. 2. observ. 95. N. 10.* idque humanius est (d) Ita  
*Baldii in L. fin. C. d. dot. promiss. L. 8. C. de natur. lib.* (e) *Gail. 2. obs.*  
*88.* & ita communiter *D. D. Zoes N. 6. ff. h. t.* (f) *L. 13. Q. fin. ff.*  
*de administ. tut. Duaren.* hic *C. 3. Wesenb. parat.* *N. 3. Jason in L.*  
*1. N. 29. ff. sol. matr. Zoes N. 16. h. t.**

## QUÆSTIO XXIX.

*Si frater cum sorore habeat bona communia,  
eamque dotet, an de sororis portione, vel de sua do-  
tem ipsi constituere censeatur?*

**R**esp. de bonis Sororis: in dubio enim nemo donare præsu-  
mitur L. 25. q. 1. cum gloss. litt. n. ff. de præsumpt. Secun-  
dò parens bonorum filii administrator, aliquid filii nomine ero-  
gans, censetur potius facere ex bonis filii, quām suis L. fin. ff. de  
pet. bāred. ergo à potiori de fratre hoc in casu dicendum, qui  
non tam affectus est erga sororem, ut pater erga filiam, nullus  
enim amor vincit paternum L. penul. C. de curat. furios.

## THEISIS XIX.

**D**ari porrò res omnes in dotem possunt, quæ  
in commercio sunt, imò etiam incorporales  
(a) æstimatæ, & inæstimatæ (b) in determinatè  
promissæ (c) à muliere in definitæ promissæ verius  
credimus peti non posse (d) res alienas negamus  
pro dote posse constitui (e) In dote constituenda  
læso succurritur (f) fidejussor ob promissam mu-  
lieri dotem tenetur. (g)

(a) L. 7. §. 2. & 3. L. 54. 66. 78. ff. h. t. unde & credi-  
tum in dotem dabitur, quo in casu maritus debitor, cui in do-  
tem creditum est constitutum, liberatur ab usuris solvendis  
L. 77. ff. hic (b) L. 52. ff. eod. L. 31. q. 2 C. h. t. Duar. in L. 60.  
q. 3. sol. matr. Zoës N. 18. ff. de jur. dot. (c) L. 3. C. de dot. prom.  
ubi boni viri arbitrium videtur insertum esse stipulationi Zoës  
ff. b. t. N. 3. (d) propter incertitudinem, quæ vitiat L. 2. C. de  
dot. prom. mulier enim indotata esse potest, & nubere, ac dando  
rem vilissimam liberatur Duar. 1. Disp. 16. C. (b) L. 34. 67. ff.

hic L. 13. eod. ( hic Baccho. ad Treut. Thes. 4. Lit. C. eundem Treut. culpare contendit de thesi malè posita ) Zoes cit. N. 18. hæ enim possunt vindicari. Si tamen usucaptæ sint, cum cessent esse alienæ, dotales fiunt, quæ usucapiendi conditio etiam cum dotet transfertur (f) & quidem minoribus ex L. 1. C. se advers. dot. L. 9. ¶ 1. ff. demino. reliquis ex æquo & bono L. 6. ff. hic Zoes N. 18. ff. h. t. (g) L. 55. hic L. 60. ¶ 1. ff. mand. æqualitatem donationis propter nuptias, & dotis hodie rarò servari testatur. Gail. 2. obs. 78. N. 2.

### QUÆSTIO XXIX.

*An filius matrem inopem ad secunda vota transeuntem dotare teneatur?*

**R**esp. Neg. Idque ex eo, cum iniquum sit ad illationem injuriæ aliquem cogi quidpiam conferre L. 7. C. de testib. sed mater denuo nubens filiis infert injuriam Nov. 17. C. 1. & 2. ergo non tenetur filius matrem ad secunda vota convolantem dotare. Graviter enim patrem offenderet eam dotando, cuius anima secundis viduæ nuptiis contristatur Numeri 22. accedit, quod filius non teneatur ei nuptialia munera mittere, ergo nec eam dotare L. 13. §. fin. ff. de administ. tut L. 1. ¶. præterea ff. de tut.

### THEISIS XX.

**C**onstituitur itaque dos inter vivos, vel inter mortuos ultima voluntate (a) idque variis modis (b) dos autem sine nuptiis esse non potest (c) bene verò nuptiæ sine dote. (d)

(a) Ut in casu L. 48. ¶ 1. ff. h. t. L. 71. ¶ 3. de cond. & demonstr. L. 20. 76. hic, idque tacitè vel expressè (b) ut traditione L. 48. ff. hic, cessione Ulp. infrag. tit. 19 ¶ 19. acceptatione L. 43. ¶ 1. hoc tit. debit remissione L. 58. ¶ 1. L. 59. edo-

*eod. eer. (c)* & ita ad substantiam matrimonii dos non pertinet  
*L. 20. C. de donat. ante nupt.* adeoque mulier ob dotem non præstitatam expelli, aut repudiari nequit. *L. ult. C. de repud.* (d) *Wesenb. parat. hic N. 6. Covar. 1. var. resol. 7. N. 2. Gail. 2. observ. 89. N. 2.*

### QUÆSTIO XXX.

*An maritus sit verè dotis dominus constante matrimonio?*

**R**esp. Verum & naturale dominium manet penes mulierem *L. quamvis 75. ff. h.t.* ubi res dotales naturaliter manent apud uxorem juris verò subtilitate transit dominium ad maritum, quod latè habet *Zalissus 2. sing. intell. C. 5. accedit* quòd thesaurus in fundo dotali inventus pro dimidio marito, pro dimidio uxori cedat, quod dici non posset, si vel maritus, aut uxor perfectum in dote haberet dominium *L. 7. Q. 13. ff. soln. matrim. qua de re plura apud Hunn. ad Treut. vol. 2. Disp. 7. Thes. 6. Martin. ad L. 30. C. b.*

### QUÆSTIO XXXI.

*An dos sit jus universale? Affir.*

**C**um Zoës. *N. 1. ff. de jur. dot. contra Bacchov. ad Treut. vol. 2. Disp. 7. thes. 1. Litt. B.* fundamenta nostræ conclusionis sint hæc primò *L. 1. Q. 4. ff. de dot. præleg. ubi sed ad universitatem erit referendum.* Secundò recipit augmentum, & decrementum, sed quæ augmentum, & decrementum recipiunt sunt omnino jura universalia, ut patet in hæreditate, peculio &c. *L. 31. Q. fin. ff. Sol. matrim. L. etiam cod. de jur. dot. L. 62. ff. dereg. Jur. L. 40. ff. de pecul.* ergo verum erit dicere: quòd dos sit jus universale. Et hæc est communior quam tenet Barth. in rubr. *Sol. matrim. N. 17. Facheus. 10. contr. hic Menoch. Zoës. Cit. &c.*

## THESIS. XXI.

**D**Os autem varia habet privilegia primo quod immobilis nequeat a marito alienari (a) unde si v. g. fundus alienatus fuerit, uxor Salvam habet rei vindicationem (b) res autem immobilis aestimata tamen, recte alienatur (c) secundum quod marito ad inopiam vergente haec exigi possit (d) tertio habet exercitium tacitae hypothecae. (e)

(a) Id est invita muliere, immo quandoque licet assensum daret, non potest alienari pr. Inst. quib. alien. lic. L. un. 2. & cum C. de rei. ux. act. propter fragile feminarum judicium multis suppositum captionibus Berlich. ff. h. t. (b) L. in rebus 30. C. de jur. dot. (c) tunc enim tenetur maritus uxori ad pretium, nisi sibi servasset electionem, nam tum non erit locus alienationi L. 1. C. h. t. Zoës N. 2. ff. defund. dot ali (d) sive sua culpa, sive casu inops efficiatur Zoës. N. 22. ff. de jur dot. &c hoc propter favorem dotis. Intelligimus autem illum inopem, qui ad dotis exactiōnē non est solvendo L. 29. C. h. t. L. 21. ff. eod. (e) privilegiatae, quo omnino mariti bona sibi habet obligata, & contra ejus creditores, tam ex cipiendo quam agendo.

## QUESTIO XXXII.

*An mulier ratione hypotheca sua preferatur indistincte omnibus creditoribus, etiam expressam, & anteriorem habentibus?*

**R**ESP. Cum Paucis, auct magnis cum rationibus affirmando: quarum prima est in L. fin. Q. 1. C. qui potiores pignore hab. ubi generaliter contra omnes creditores anteriores Imperator dat mulieri prælationem, cuius generalitas absque textus corruptione ad habentes tantum tacitam anteriorem non restrin-

getur

getur : quod ridiculum esset, cum Imperator voluerit generaliter omnibus mulieribus succurrere ad factam querimoniam mulierum, adeoque propter generale hoc remedium tamen de expressis, tamen tacitis intelligendum est, ut pulchre docet Bachov. ad Treut. Vol. 2. Disp. 24. litt. 6. Confirmatur per Nov. 97. ubi mulier præfertur creditori, qui pro ædium refectione dedit mutuum, hic vero mutuans præfertur omnibus sive expressam tantum, sive expressam simulque anteriorem habentibus L. 5. ff. qui pot. in pig. ergo ex ratione si vinco vincentem te, multo magis vinco te; mulier omnibus indistincte præfertur. Ratio ulterior in L. fin. cit. quia si Imperator voluissest contrarium, æquum esset id exprimere, quod potuisse eum facere nemo negabit, ac facile illa constitutio eludi posset. Fach. contr. I. C. 32, Hunn. ad Treut. vol. 3. Disp. 24. Bronch. ass. 19. h. t.

### QUÆSTIO XXXIII.

*An in repetitione dotis oporteat libellum generalem, vel specialem concipi.*

**C**ommunior est affirmantium, Nos cum Castr. Bald. salicet. in L. ult. C. de sent. quæ sin. cert. quant. Negativam tuemur, cui suffragatur regula generalis, quæ negat similem libellum esse admittendum, ubi non potest reus deliberare, an velit cedere, an vero contendere L. 1. ff. de edendo sed generaliter conceptus est talis, ex quo non potest cognosci id ipsum in dote dict. salic. ergo libellus generalis in dote non procedit.

### THEISIS XXII. DE DIVORTIIS.

**D**ivortium dicitur vel à diversitate mentium (a) vel quia conjuges in diversas abeunt partes (b) accipitur dupliciter primo prout dissolutio-  
nem

nem matrimonii quoad mensam & thorum , se-  
cundò prout importat dissolutionem vinculi (c) re-  
pudii denominatio latior est quàm divortii. (d)

(a) L. 2. ff. b. t. (b) d. L. 2. Sanchez L. 10. Disp. 1. vel ut  
alii dicunt à divortendo , seu divertendo Vall. & b. t. N. 1. (c)  
1. modus impropriè divortium dicitur , secundus propriè Vall.  
cit. Sanchez hic (d) L. 191. ff. de verb. Sig. nam divortium  
tantùm inter virum & fæminam ; repudium vero etiam inter  
sponsum & sponsam Zoës N. 1. ff. b. t.

### QUÆSTIO XXXIV.

*An matrimonium quoad vinculum etiam, dis-  
solutionem patiatur?*

**O**Mnes fermè Acatholici affirmativam proptignare con-  
tendunt acerrimè , saltem adulterium sufficientem diver-  
tendi causam fore. Nos Catholicæ religionis asseclæ authore  
Deo , & Ecclesia id à fronte negamus , pro nostra faciunt can.  
2. 3. cum sequentibus causa 32. quest. 7. Item textus Luc. 16.  
Marc. 10. 11. & 12. ubi qui dimittit uxorem suam , & aliam  
ducit , mæchatur . & hoc indistinctè , ut ex tex patet; Paul. 1.  
corint. vers. 10. iis , qui matrimonio juncti sunt , præcipio non ego ,  
sed dominus uxorem à viro non recedere , quod si discessit , manere  
innuptam , aut viro suo reconciliari . Ubi pessimè nonnulli hoc  
in passu id in muliere concedunt , negantes de marito , ut in  
quest 36. probabimus. Contra quos conci. Trident sess. 24. C. 7.  
ita fulminat si quis dixerit ecclesiam errare cum docet , &  
do-  
cuit juxta Evangelicam , & Apostolicam doctrinam propter adul-  
terium , alterius conjugum matrimonium non posse dissolvi , ana-  
thema sit. Ita Sanchez L. X. D. 1. Engl & b. t. Q. 2. accedit ,  
quod conjugium fidelium sit signum conjunctionis Christi cum  
ecclesia Eph. 5. atqui unio ista christi & ecclesiæ est indissolu-  
bilis , ergo & vinculum conjugale , quos enim Deus conjunxit  
homino non separat Matth. 19. vers. 6. Et si ut hæretici dicunt

pars etiam nocens ad secunda vota transire posset, sentiret ex suo delicto lucrum, ac commodum, quod, quomodo à J.C. aliquo admitti posset, non capio. Et in bene moratis beneque Institutis Rebusp. hoc neutquam tollerandum est. Quare omnino dicendum, matrimonium quoad vinculum præter causas in *thesis* *xxi*, *exegese* positas indissolubile esse.

### THEISIS XXIII.

**C**erti porro juris est matrimonium consummatum posse dissolvi, quoad mensam & thorum  
(a) 1. ob adulterium (b) 2. ob hæresim (c) 3. propter incitationem ad peccatum (d) 4. propter nimiam saevitiam (e) 5. propter ingressum religionis (f) 6. propter votum ultra marinum (g) & 7. ob morbum contagiosum. (h)

(a) Tot. hoc tit.  $\ddot{\chi}$  quod & per Trid. Sess. 24. C. 8. definitum est (b) nam frangenti fidem fides frangatur eidem, quo nomine omnem illicitum coitum, etiam contra naturam intelligimus C. 6.  $\ddot{\chi}$  de adult. Sanchez. L. X. h.t. (c) quia ut D. August. in C. idolatria, C placuit causa 32. q. 5. hæresis est adulterium spirituale (d) C. 2.  $\ddot{\chi}$  h.t. si C. vir  $\ddot{\chi}$  de adult. rat. est in salutis æternæ discrimine, & quod sit contra bonum prolis (e) nimis enim durum foret obligationem matrimonii ad magnum corporis periculum extendere Engl. §. 3. b. t. C. 1.  $\ddot{\chi}$  ut lit. contest. (f) mutuo consensi factum, voyendo v. g. castitatem perpetuam Sanchez. L. X. D. I. (g) ad liberandam terram sanctam, quod etiam invita muliere emitti, & adimpleri potest C. 9. 2. in tanta  $\ddot{\chi}$  vot. ex (h) Ita Sanchez cit. Engl. §. 3.

## QUÆSTIO XXXV.

*An tactus libidinosi sint sufficens divortii causa?* R. Neg.

**D**ivortii enim fundamentum est carnis in alium divisio 1.  
cor. 6. Sanchez L. X. D. 4. N. 4. quæ v. g. in osculis , am-  
plexibus , non datur: ratio ulterior in L. consensu §. fine C.  
de repud. ubi inter repudii causas similes tactus non referuntur.  
Item poenæ infligendæ ultra casum expressum , non sunt exten-  
dendæ Nov. 2. C. 3. Menoch. de arbit. L. 2. Cent. 3. N. 276. cum  
igitur in jure solummodo concedatur divortium ob adulteri-  
um , extendendum non est ad tactus turpes , esset enim argu-  
mentari à majori ad minus , quod in poenalibus vel maxime  
claudicat.

## QUÆSTIO XXXVI.

*An in petitione divortii ratione adulterii sint  
in hoc utrique conjuges pares?* aff.

**C**ontra Cajeta, in illud Matth. 19. qui dimiserit uxorem suam & ut videre est apud Sanchez L. X. D. 3. N. 1. ratio con-  
clusionis est in D. Thoma 4. D. 35. quest. 11. ar. 4. quia fidei  
violatio quæ est ratio divortii reperitur in adulterio tam ex  
parte viri , ac fæminæ , & sic ob utrumque est concessum di-  
vortium , licet hoc matrimonio injuriam irroget. Ita hanc  
verissimam tenet Perez L. 8. ord. te. 2. L. 15. ad finem Barb.  
in rubr. ff. Sol. matr. p. 2. N. 13. & omnes ferme , quod & ha-  
betur in Caroli V. Halsz. Gerichts- Ordnung Art. 120.

## THESES Ultima.

**S**unt autem quidam casus ubi divortium non  
conceditur 1. si uterque conjunx adulterium  
commisit (a) 2. si vir ipse met uxorem suam prosti-  
tuat (b) 3. si uxor , quæ probabiliter credit virum  
de-

decessisse, alii nubet, vel econtra (c) 4. si uxor vim  
passa fuerit (d) 5. si ea fraudulenter sub specie ma-  
riti cognita fuisset (e) 6. si ante baptismum con-  
junx repudiata fuisset, conversa, non poterit con-  
verso consumationem objicere (f) & quando quis  
post cognitum adulterium rem cum adultera ha-  
buisset. (g)

(a) C. 4.  $\text{X}$  de adult. paria enim delicta mutua com-  
pensatione tolluntur L. 3. 9. ff. sol. matr. (b) C. 6. de eo qui co-  
gno. (c) can. 1. causa 34. q. 1. L. uxor. C. de repud. Si autem su-  
pervenit scientia, maritum v. g. adhuc in vivis esse, uxor non  
reddere, minùs verò petere debitum potest, nam tunc verè  
fieret adulterium Hostiens. Monal. Enriquez C. significasti h. t. (d)  
tum enim vacat culpa adulterii C. 4. causa 32. quest. 5. L. 39.  
ff. ad L. Jul. de adult. (e) quia tunc bona fides uxorem excu-  
sat can. 6. causa 34. q. 2. quæ fides juramento doceri potest  
(f) gaudemus in fine  $\text{X}$  h. t. (g) Sanch. L. 10. D. 4. Vall. 2. 3. N.  
2.  $\text{X}$ . hie.

### Q U Æ S T I O Ultima,

*An sicut adultera amittit dotem, etiam amit-  
tat bona Paraphernalia?*

**R**ationem dubitandi facit C. 4.  $\text{X}$  de donat. int. vir. ubi  
in hoc casu dos, & dotalitium viro adjudicatur, ly do-  
talitium autem authores interpretantur pro parapherna. Ita  
Gloss. in d. E. 4. Cov. 4. Decret 2. p. C. 1.  $\text{Q}$ . 6. N. 2. Jul. clar. L.  
5. receptar  $\text{Q}$ . adulter N. 15. hac tamen ratione non obstante  
 $\text{X}$ . cum Zoës N. 30. ff. ad L. Jul. de adulteriis Negativè, quia  
parapherna non dicitur dotalitium, nec in materia poenali,  
qualis est hæc oportet verba extendere, & potius dicendum  
in vero sensu, quod nomine dotalitii intelligatur donatio prop-  
ter

ter nuptias, quæ olim erat in usu, & appellabatur dos uxoris,  
Illam enim dabat vir uxori *Sanchez lib. 6. Disput. 1. Num. 1.*  
seu ut Zoës citato loco intelligitur nomine dotalitii id, quod  
post mariti mortem lucratur ex bonis mariti, facit pro no-  
stra opinione *Nov. 117. C. 4. Abbas ad*  
*dic. C. 4. N. penul.*

O. A. M. D. B. V. M.  
D. Jov. & Patriæ Glo. ac hon.



101